




conspicientib. multis reliquerunt, uisa sunt, quod in Basiliensium annales memoriæ publicæ retinendæ causa, relatum est. Eodem anno Heluetij contra ducem Mediolanensem qui peditum equitumq; selectissimorum 15000. eduxerat, circiter diui Martini festum, ad Tesinum amnem manus conserentes, interfectis Mediolanensium 1400. uictores non tantum euaserunt sed præda etiam opulentissima potiti sunt.

1479



IN Arabia cometa in modum trabis acutissimæ, ac uarijs quasi punctis distinctæ, cum face phœnaria uisus est. Eodem anno totam Carinthiã uastarũt Turcę. Cruciferi cõtra Polonos bellum pararunt. In Vngaria fœdus inter Mathiam ac Vladislaum renouatum.

1480 IN Creta insula (ut à Coccio Sabellico lib. 1. Ænead. 1. Rapsod. traditum est) & ea quidem parte qua ad meridiem obuersa est, operarij quidam dum immanis arboris truncos ad